

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3946

Auteur(s) : Guy Ier du Merle, Lisieux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1283, avril

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Guy, évêque de Lisieux, reçoit à ferme par le roi Philippe [III] la terre avec ses revenus qui appartenait à Guillaume du Hommet sise aux paroisses de Glos, de Cordebugle, de Courtonnel, de Fontenelles, de Marolles et de Saint-Jean-de-Livet, avec la moitié du moulin de Saint-Martin-le-Vieux pour une rente annuelle de 126 livres 10 sous et 7 deniers tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1018, p. 263.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Guido, miseratione divina, Lexoviensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos ab excellentissimo domino Philippo, Dei gratia, rege Francorum illustri, recepimus ad firmam perpetuam, pro nobis et successoribus nostris, in terra que fuit Guillermi de Hommez, in parrochiis de Glocio, de Cornu Bubali, de Cortonnel, de Fontenellis, de Maierolis et de Sancto Johanne de Liveto quater viginti quinque acras et quadraginta sex perticas in terris arabilibus, in brueriis, in pratis et alnetis ; item, in masagio et gardinis, tresdecim acras unam virgatam et dimidiam, sexdecim libras novem denarios annui census ; quinque ansseres ; viginti quinque sextaria et duodecim boissellos avene redditus ; octo boissellos frumenti ; centum decem et novem capones, viginti novem gallinas, et cum caponibus et gallinis undecim solidos et septem denarios ; unam libram et dimidiam piperis ; mille centum et sexaginta duo ova, et cum ovis tres solidos sex denarios et obolum, sexaginta sex acras et viginti perticas bosci sine tercio et dangerio ; quoddam molendinum situm in dicta parrochia de Glotio, cum multis siccis et madidatis, cum piscariis et cum pertinentiis ejusdem molendini in aqua et in aliis locis ; item medietatem cujusdam molendini siti in parrochia Sancti Martini Veteris cum multis siccis et madidatis cum piscariis et cum pertinentiis in aliis spectantibus ad medietatem molendini supradicti ; item septem libras et decem solidos redditus quos feodus de Cantelupi debet annuatim ratione sicce multe ; servicia, precarias, homagia ; releveia rusticorum, placita et simplicem justiciam eorumdem, pro sex viginti sex libris decem solidis et septem denariis turonensibus, dicto domino regi et suis heredibus quitis annuatim solvendis, videlicet tercia parte ad Pascha, et duabus partibus ad festum beati Michaelis. Et, de dicta firma, ut dictum est, solvenda, nos viginti libratas redditus supra terram nostram de Thibervilla in contraplegium obligavimus dicto domino regi et suis heredibus, una cum supradictis nobis ad firmam traditis, perpetuo remansuras, si nos vel successores nostros a contractu hujusmodi contigerit resilire. Premissa vero nobis et successoribus nostris, sicut dictum est, concessa sunt, salvo jure in omnibus alieno, et retentis domino regi spate placito cum pertinentibus ad placitum spate, forefactoris modo tenentium de dicta firma et heredum eorumdem, jure patronatus, gardis, homagiis feodorum lorice integrorum

vel partitorum et francarum serjanteriarum, si de feodo quod nobis traditum est teneantur. Si autem occasione premissorum vel alicujus de premissis ad firmam nobis traditis inter nos et homines tenentes de eodem feodo aliquam contingat oriri querelam, dominus rex voluit quod ad primas assisias vel placita sua sine dilatione et essonio audiatur. Item dominus rex voluit quod nobis liceat et successoribus nostris, quodocunque voluerimus et nobis visum fuerit expedire, quod pro centum libris turonensium domino regi vel suis heredibus a nobis et successoribus nostris solvendis quatuor libre turonensium redditus de summa predicta, in qua eidem domino regi tenemur pro dicta firma nobis tradita, deducantur. In cujus rei testimonium, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri, et, ut hoc melius et firmiter futuris temporibus teneatur, nos decanus et capitulum Lexoviense presentibus litteris, una cum sigillo predicti episcopi, sigillum nostrum duximus apponendum. Actum mense aprilis anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio.